DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PLEURITIDE VERA.

QUAM

FAVENTE DIVINA GRATIA,

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris

D. CAROLI DRELINCURTII,

Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimi,

NECNON

Ampliſſimi Senatûs Academici unanimi Conſenſu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis ac Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit,

CAROLUS de MAETS, C. F. C. N. Lug-Batav.

Ad diem 22. Martii, horis locoque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,

Academiæ Typographum. M DC XCIV.

Graviſſimo, Prudentiſſimo & Doctiſſimo

VIRO

D.D. JOACHIMO NIEUSTADT,

olim *Urbi inclytæ Trajectinæ ad Rhenum à Secretis*, nunc *Societatis Indiæ Orientalis Conſiliario Extra-Ordinario & rerum Maritimarum Fiſci Advocato Fidelisſimo*, omnignæ ſcientiæ, præſertim Matheſios Fautori & Cultori indefeſſo, Avunculo ſuo digniſſimo adultimum vitæ ſuſpirium colendo & honorando.

NEC NON

Conſultiſſimis, Experientiſſimis, Acutiſſimiſque VIRIS *in maximâ ex parte*

Collegis Rev. Par. P. M. Dilectiſſimis,

D. D. CAROLO DRELINCURTIO,

Philoſ. & Med, Doctori, in Illuſtriſſimo hoc Athenæo Medicinæ Practicæ, & Anatomes nuper Profeſſori experientiſſimo, acutiſſimo.

D.D. PAULO HERMAN, Philoſ. & Med Doctori, & in Academia Lugduno-Batavâ Botanices Profeſſori ac Cultori accuratiſſimo, Præceptori ſuo ſolidiſſimo.

D.D. GODOFRIDO BIDLOO, Med. Doctori, & Inclytæ hujus Palladis Anatomiæ Profeſſori peritiſſimo, dexterrimo, Promotori ſuo plurimum venerando. Præſidi Collegii Chirurgici digniſſimo,

D.D. WOLFERDO SENGUERDIO.

J. U. D. ſagaciſſimo, L. A. M. Philoſophiæ Doctori, & Profeſſori ſolertiſſimo, Præceptori ſuo, de ſe, ſtudiiſque ſuis optimè merito.

Sacras has theſes vult

CAROLUS DE MAETS, C. F. C.N.

Auctor & Reſp.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PROOEMIUM.

M*Edicinam, artium præclariſſimam,* Hippocrates *haud immeritò in Epiſtola ſua pronuntiat: præclariſſima eſt reſpectu* objecti *circa quod verſatur* (hominem *ſcil.*) *mirificæ conſtitutionis compendium, in cujus æquè, ac in* Macrocoſmi *contemplatione* (*lynceis licet quis inſtructus ſit oculis*) *miranda, ac ingenii humani aciem exſuperantia, conſpectui ſeſe offerunt, quæque tamen ad rationis normam revocare, juxtaque eam explicare, mens noſtra potis non eſt, & ineptam ſe declarat. Quis quæſò ad hominem* (*ut revertar*) *ſi ſe converterit, vidit unquam* Machinam *adeò curioſè extructam, & partium innumerarum ſeriem in ſe continentem? quis earum Unionem, Actiones, Motus, animo ſi perpenderit, non ſummâ abripietur admiratione, hominem non affligi miſeriarum cohorte? Sed en Conditoris ſui Opt. Max. ipſum ab innumeris ægritudinibus liberantis* bonitatem & potentiam! *ex cujus tamen miſerè afflicti proba cognitione,* Medicus *ſcientiam ſibi comparabit, quâ hoſtes undique machinam humanam infeſtantes debellare, calamitates quibuſcum luctatur, avertere & amoliri, fructusque non ſolummodò ſibi reportare laboribus contemnendos, ſed*

& miſerorum, in quantum ei, Remediis ipſis ſuccurrere datum eſt, ſolatium atque refugium eſſe poterit: quæ omnia Mecum perpendens, quid pro Lemmate *meo eligerem, diu anxius & dubius hæſi; ſed tandem* Pleuritidem Veram, *morbum hiſce regionibus familiarem, pro ingenii* modulo *explicare, in animum induxi,* novum *non ut quid hocce de morbo effarer, atque in medium proferrem; nihil enim eſt quod non anteà libatum ſit ab iis, qui laudabili huic conſuetudini ante annos aliquot ſatisfecere. Quapropter ne Lectori Benevolo nauſeam ac tædium multo verborum apparatu creem, hic ſubſiſtam,* morbumque *ipſum pro viribus explicare aggrediar, in cujus explicatione, Lectoris Subacto & Limato judicio ſi non ſatisfecero, condonet, reputans* errare eſſe hominis, & non omnia nos poſſe omnes.

DIS-

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

PLEURITIDE VERA.

THESIS I.

UT ordine *Pleuritidem Veram*, explicare à me ſuſceptam, ritè pertractem, exigit ordo, ut ante omnia vocis Etymologiam tradam; quæ nomen ſuum derivaſſe videtur à πλευρὰ, ſignificante membranam coſtas inveſtientem, quæ vox ulteriùs deduci poterit à πέλω & δρὺς, quaſi ſum propè coſtas; ſed cum de nominibus non tàm, quàm de rebus agere propoſui, idcirco hæc

omittam, & *morbum* ipſum pro viribus meis explicare incipiam.

II.

Cognito jam vocis Etymo, facile *Pleuritis Vera*, definiri poteſt, quod ſit *inflammatio prædicta membranæ Pleuræ, coſtas ſuccingentis, & muſculorum intercoſtalium, conjuncta cum febre continuâ acutâ, dolore lateris punctorio, tuſſi, reſpiratione difficili, & pulſu duro & celeri*; exquibus datis, partes quæ ſint affectæ judicio pollens facile percipere poteſt.

III.

Sed cum ſermo mihi ſolummodo ſit habendus de *Pleuritide Vera*, Notham aliis explicandam rellinquo; ſed non poſſum non quin *ejus* differentias, & quomodo ab aliis differat Morbis in anteceſſum proponam.

Dividitur *Pleuritis* in Veram & Notham, porro in *Humidam*, in qua multa excernuntur phlegmata, & *Siccam* in qua nulla excernuntur phlegmata.

Diſtinguitur *Pleuritis* à *Peripneumonia*, quod dolor non punctorius & acutus, ſed gravativus, & difficultas reſpirandi major ſit, peccantibus in hac humoribus tam *quantitate* quam *qualitate*.

A *Paraphrenitide*, reſpectu loci; in hac enim dolor non eſt lateralis, ſed extimæ coſtarum, ad ſternum accedentium partes dolore affectæ ſunt, & ventris ubi *diaphragma* eſt, pars turget.

Ab *Inflammatione hepatis*, doloris loco, qui eſt in *dextro hypdchondrio* gravans tumore infra Coſtas Spurias ſeſe manifeſtante & *tuſſi ſicca*.

IV.

Hiſce jam conſideratis, ad Cauſas hunc affectum producentes me accingo, quæ juxta Auctores dividuntur in *proximas* & *remotas*. *Pro*

Proxima hujus affectus cauſa eſt *ſanguis*, ob lentorem in vaſis Pleuram perreptantibus *obſtructus*, aut *extravaſatus*, ut recte meminit *Williſius cap. de Pleuritide*.

Remota vero, ſunt ea omnia quæ ſanguinem peccare faciunt, vel *qualitate*, vel *motu*, de quibus ordine & ſuo agam loco, & qua ratione prædictæ cauſæ hunc affectum producere valeant, brevitèr *explicabo*.

V.

Sanguis ab Auctoribus, qui ejus per *ignem* analyſis periculum fecere, deſcribitur, *quod* ſit liquor hæterogeneus, & conſtans partibus inter ſe differentibus; quæ partes quamdiu juſtum inter ſe ſervant ordinem, & bene ſibi invicem permixtæ ſunt], deſcribunt liquorem balſamicum, Machinam noſtram in ſuo eſſe conſervantem, & ſpiritibus ejus interitum avertentibus refertum: verum enim vero ſi ordo ille ac unio tollatur, & liquor ille qui antea balſamicus erat, mutetur in qualitatibus, & lentorem ac acrimoniam ſibi contrahat, multas in calamitates & ærumnas machina noſtra incidit; ob contractum enim lentorem circulum ſuum abſolvere cum nequit (quod ex conſtitutione vaſorum, à principio lato, in anguſtum apicem tendentium facile probari poteſt) iis ut inhæreat neceſſe eſt, quibuſque inhærens ſemper à ſanguine à tergo premente impellitur, ab quem impulſum, vaſa ultra modum infarciuntur, quæ infarcta partim à nimia copia ſanguinis, partìm ab acrimonia, cui amplius reſiſtere cùm nequeant, in funeſtam ſui rupturam ſollicitantur, juxta illud, *nam vitium capiunt ni moveantur aquæ*; quique jam effuſus ſeſe inſinuat intra poros prædictæ membranæ, eoſque obſtruendo anguſtat, hìnc *materia primi elementi*

menti (*ſubtilis à Philoſophis dicta*) quæ antea liberrimè fluebat per ejus poros, eoſque jam obſtructos offendens, viam ſibi parat per vim, & celeritate motus ſpatii anguſtiam compenſando *phlegmonem* partibus inducit, & incidens iu ſanguinem illum extravaſatum, & in eo poros non inveniens figuræ & motui convenientes, huc illuc agitat quoad nimimas ejus partes, & ut verbo dicam, *fermentationem* in eo introducit, quam mox ſubſequitur acredo, ſales noſtri ſanguinis fluidi per *fermentationem* in actum ducti aceſcunt; nec non *putredo*, partes enim ſanguinis per *fermentationem* ſeceſſum à ſe invicem faciunt, & ſingulæ ſeorſim qua data via avolant; hic putridorum enim ſtatus eſt, quod primo avolent particulæ ſubtiles, dein craſſiores in actum ductæ cum fætore abeunt, rellinquentes poſt ſe nil niſi Caput Mortuum ſeu terram damnatam. Sic puto explicatam *Pleuritidis Veræ Cauſam proximam.*

VI.

Remotæ ſunt ut innui Theſi IV, quæ *ſanguinem* peccare faciunt *vel qualitate vel motu.*

Qualitate ipſe peccat Sanguis, quandò ea omnia adhibentur, quæ ipſi acredinem & lentorem conciliant, ut immoderatus uſus Spiritus Vini, vini, muſti, &c. quibus compages ſanguinis ita reſolvitur, ut ſpiritibus, majori ex parte avolandi data occaſione, nil remaneat, niſi vappa craſſa & acris.

Motu peccat, quando æſtu ſolis, exercitiis, &c. nimium impellitur, & nimium impulſus impetuoſè ruit è Corde in arterias, quarum latera ultra modum cum diſtendit, & poros aperit, ſingulis arteriarum pulſibus ſecernit per earum poros particulas varii generis, quæ quamdiu tranſpirarat nil noxæ pariunt, ſed

his

his ſi ſuperveniat *ſubitaneum frigus*, *particulæ* illæ tunc temporis tranſpirantes in motu impediuntur, & condenſantur; quæ in motu impeditæ & condenſatæ obſtructiones pariendo, *hunc affectum* producunt.

VII.

Ritè jam perpenſis cauſis, ſigna, quibus dignoſcitur investigare haud inconcinnum eſſe puto, quæ ſunt.

1° *Dolor lateris punctorius*, originem trahens *partim* ab *inflammata pleura*, & *muſculis intercoſtalibus*; (ſc:) quod *pulmones* ſeſe extendentes allidant in *inflammatam pleuram*, *partim* ab acribus iſtis è *ſanguine* effluviis continuò fibras iſtius *membranæ* vellicantibus, & nervos, per *eam* diſſeminatos, malè afficientibus.

2° *Tuſſis*, agnoſcens cauſam *ſanguinem* illum acrem, continuò *muſculorum intercoſtalium* membranam irritantem, quæque jam irritata, ſeſeque contrahens *tuſſim* producit.

Vel eum circulantem tumultuario motu per vaſa pulmonis, qui per poros intrò foràs ſpectantes emittit effluvia acria, quæ vellicantia *pulmonum membranam*, eos ad difficilem *tuſſim* ſollicitant; hinc eſt quod hunc *affectum* ſæpe ſequatur hoc vel illud *pulmonis* vitium.

3° *Difficilis reſpiratio*, oriens à tubulis muſculorum quoad actiones læſis; nam dilatationes ac contractiones latas cum perficere nequeant, eas crebris & partitis vicibus efficere coguntur, quæ tantò difficiliores ſunt, pro ut humores vel *qualitate*, ut nimis acres, vel *quantitate* peccaverint.

4° *Febris continua acuta*, fontem habens ex ſanguinis particulis putridis, quæ in tranſitu ſuſceptæ, & cum circulante ſanguine ad Cor delatæ, eum malè fermentant, mixturamque ejus continuo perturbantes, toti

 maſſæ

maſſæ ſanguinis labem inferunt, ac febrem producunt.

5° *Pulſus durus*, initium ſumens à ſpiritibus animalibus, tumultuario & velociori quam par eſt motu agitatis, & plus juſto ſanguinem moventibus, ac impellentibus; quæ omnia ſigna ſimul ſumpta, ſi in uno individuo occurrant, Medicus de *Pleuritide verâ* certus eſſe poteſt, de quibus legatur Gallen. lib 5. de locis affectis, cap. 8. ut & Barbette cap. de pleuritide.

VIII.

Ex quibus ſignis, qui modò morbum à limite ſalutavit, facile de eo effari, & prognoſim reddere poteſt, quod ſit periculoſus affectus, quippè qui facilè degenerat vel in *Phtiſin*, vel in *Empyema* teſte *Hippocrate Sect* v. *aph*. 8, ideoque quo citius peccans materia incidatur vel diſcutiatur, eò citior cura; quoque magis ea tuſſi non moleſtâ rejciatur, eò majus levamen; quò ſputa albidiora & leviora apparuerint, eò major curationis ſpes affulget; è contra vero ubi *dolor*, febris, aliaque non remiſerint ſymptomata, & tuſſi nil rejiciatur niſi lividum, pejus ſignum habetur, *Hipp lib*. 2. *prognoſt*. *Cap*. 8. ut & alvi profluvium ſi ſupervenerit *Sect*. VI. *aph*. 16. cæterum an hic affectus læthalis ſit nec ne, id ex ægri viribus, ſymptomatumque vehementiâ petendum eſt.

IX.

Quibus perpenſis ad curam hujus ut me convertam affectus, exigit ordo; quæ in his conſiſtit, 1° ſanguinis motus vehemens eſt ſiſtendus ut extravaſatio minuatur, & dolores atroces mitiores evadant. 2° *ſtagnans* in ſolitam abducendus eſt circulationem. 3° *extravaſatus* incidendus eſt, vel diſſipandus, quod ſi impoſſibile in *pus* eſt convertendus, & in *pus* converſus è corpore eliminandus. 4° *febris* eſt minuenda & profliganda.

X.

X.

Sanguinis motus minuitur partim per V. S. in brachio inſtituendam quæ prudenti manu eſt peragenda ut urgente neceſſitatis telo, ea poſſit repeti, & extravaſatio minuatur, vaſaque ultra modum extenſa, paululum collabaſcant; præterea ut tam impetuoſè non ruat verſus partem affectam, dolores, aliaque ſymptomata producat: *partìm* per annodina, quæ ſpirituum animalium motus minuendo, virtute ſuâ narcoticâ, iis torporem inferunt, ſed habito patientis reſpectu.

XI.

Stagnans in ſolitam redigendus eſt circulationem, per ea, quæ ejus craſſitiem incidere & attenuare valent, ut Sal. Vol. decocta talibus particulis tam fixis, quam volatilibus conſtantia, ut lign. Guajac. Saſſafras, Santal. citrin. Rad. Sarſeparill. Chin. Fænic. Capparid. Cort. Tamaris. herb. Abſynth. Card bened. Tuſſilag. ſem Card. Mariæ Leviſt. in cujus colatura diſſolvatur ſirup. Pap. Rhead. & ſp. ſal. volat. dulc. qſ. ad gratiam.

XII.

Extravaſatus incidendus & attenuandus, *vel* ſi hoc impoſſibile ſit in *pus* convertendus eſt; inciditur *partim* per *volatilia*, quorum uſus hic parcus eſſe debet, ob extravaſationem ſanguinis; *partim* per ea quæ conſtant *particulis rigidis* ut raſ. dent. apri ocul. canc, Mandib. luc. piſc. ſang. hirc. ſperm. Cet: &c. ex quibus formulæ parari poterunt, pro ægri beneplacito, & exigentia morbi; inciditur porro per *decocta* expectorationem promoventia, ut Rad. Irid: flor. Helen. Coſt. herb Agrim. Veron. Heder, florib. Papav. Rhead cujus colatura edulcorari poteſt Syrup. Jejub. vel de Althea Fernel. vel Pap. Rhead. addantur paſſul. major.

exacinat. *Latus* externè foveatur ſacculo arenâ, vel cumino repleto; inſupèr imponatur Emplaſt: de ſpermate Ceti Minſigdii, malaxatum cum oleo Philoſophorum; præterea latus inungatur unguento ut Mart nervin cum oleo de lateribus, vel coquantur Santl. Citr. cum aceto & ſang: hirc: & calidè imponatur lateri affecto; quod ſi hiſce omnibus incaſſum tentatis, nulla diſcuſſionis ſpes appareat, in *pus eſt* convertendus, per maturantia, ut rad. Alth. fol. Alth. Malv. bis malv. bulb. Lilior. alb butiro &c. ex quibus efformetur Cataplaſma, quod loco affecto imponatur, & *pus* provocetur, quod provocatum inſtituta *paracentheſi* ex corpore eſt eliminandum.

XIII.

Febris cum acrimoniâ humorum temperanda, & profliganda eſt talibus, quæ ſanguinem ad debitam mixturam reducunt, ut regul. Antim. medicinalis, Antim. diaphoreticum, & ejus acrimoniam obtundunt ut ocul Canc. Corall. rub. ex quibus, additis conſervis poteſt parari bolus, vel aq: ut Card. bened. Pap. Rhead. &c. mixtura; *vel* de coctum Scorzon. contra Jervæ hic ſuum adfert, in cujus hauſtu mixturæ loco poſſunt adhiberi, vel pulv. vel bolus.

XIV.

Ad ſitim ægros tam anxiè torquentem minuendam proſunt Emulſiones ex ſem. Melon. Card. bened. vel decoctum flor. Papav. Rhead, vel decoctum Scorzon. in quo diſſolvi poteſt ſpiritus ſal. volat. dulc. ad gratiam & ſirup. Papav. Rhead. vel Rob. diamori. Ad *tuſſim* ægros tam anxiè torquentem minuendam conveniunt linctus ex ſirup Pap. alb. vel Rhead Capill. veneris, cum ocul Canc. in alcohol triris ut & Bezoard. Min. de quibus continuo aſſumat vel decoctum ex rad. Chin. Scorzon. herb. Veron. Heder Pariet. Merc. ad-

dit

dit. Glizirriz. & C. Cerv. raſpat; ſummum hic levamen adferunt opiata circa veſperam adhibita. Alvus inſuper ſi ſuum non præſtiterit officium, emolliatur enemate emolliente, ut ex herb. Malv. Bis Malv. mercurial. Parietar. addito electuar. lenitivo & ſal. Gemmæ pro ſtimulo. Et ſic puto curam hujus affectus poſſe abſolvi ſc. per V. S. & opiata, ſanguinis motum minuendo, perque ea quæ conſtant particulis tam fixis, quam volatilibus, ſanguinem obſtructum in ſolitum circuitum reducendo, extravaſatum diſcutiendo; vel ſi hoc impoſſibile ſit in *pus* convertendo, per ſudorifera fixa, ſanguinem ad juſtam mixturam reducendo, obſtructoſque poros aperiendo, materiam obſtruentem incidendo, per terrea, & opiata ejus acrimoniam demulcendo & obtundendo.

XV.

In Diæta vitentur ea, quæ chylum craſſum tradunt; è contra in uſum vocentur talia, quæ laudabilem & bonum præbent chylum; aër ſit moderatus, animi pathemata cane, pejus & angue vitentur, & ſic patiens priſtinam recuperat ſanitatem. Tu porro Deus Opt. Max. qui me huc uſque ajuvaſti, benignè aſpira cæptis meis, ut in Tui honorem, proximique ſalutem hæc omnia eveniant.

F I N I S.